



M-s. 207  
2

294.

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
**NEXV VERAE PIETATIS**  
CVM  
**PVRITATE DOCTRINAE**  
AD ILLVSTRANDVM LOCVM EPH. II. 10.  
ET AD  
RENOVANDAM  
**PACIS RELIGIOSAE**  
MEMORIAM SECVLAREM

---

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMME VENERABILI  
**IO. ERNESTO SCHVBERTO**  
SANCTAE THEOLOGIAE DOCTORE  
ABBATE CONVENTVS AD LAPIDEM ST. MICHAELIS  
THEOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO ET  
SEMINARII THEOLOGICI DIRECTORE IN ACADEMIA  
IVLIA CAROLINA  
IN IVLEO MAIORI  
D. XXV. SEPTEMBRIS A. R. S. CICLO CCLV.

PVPLICE TVEBITVR  
AVCTOR RESPONSVRVS  
**GEORGIVS LUDOVICVS GRVENER**  
WOLFENBETTELNSIS  
S. TH. C. ET SEMINARII THEOLOGICI MEMBRVM.

---

HELMSTADII  
TYPIS IOANNIS DRIMORNIL.



VIRIS  
PERILLVSTIBVS AC GENEROSISSIMIS  
SERENISS. DVCIS BRVNOV. AC LVNEBVRG.  
SPLENDIDISSIMI SENATVS  
QVI COENOBLIA CVRAT  
DIRECTORI  
AC VICEDIRECTORI  
LONGE GRAVISSIMIS  
NEC NON  
VIRIS ILLVSTIBVS AC CONSVLTISSIMIS  
SVMMI HVIVS COLLEGII  
MEMBRIS

MAECENATIBVS PATRONIS AC  
FAVTORIBVS  
AD CINERES VSQVE DEVENERANDIS  
PRO  
IMMERITIS OMNINO BENEFICIIS A TENERA IAM  
IVVENTVTE VSQVE AD HAEC TEMPORA  
SIBI COLLATIS  
ANIMVM GRATISSIMVM SVBMSISSE TESTATVS  
AC PRO  
TANTORVM VIRORVM  
ANIMI NOBILITATE AEQVE AC NOMINIS SPLENDORE  
CONSPICVORVM  
SALVTE AD DEVM T. O. M.  
PRECES ARDENTISSIMAS MITTENS  
SEQVE  
SVAMQVE FELICITATEM IN POSTERVUM  
PATROCINIO GRATIAE  
AC QVAM HACTENVS SATIS IAM EXPERTVS EST  
FAVORI  
COMMENDANS  
HANC DISSERTATIONEM  
STVDIORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS  
EA QVA DECET ANIMI SVBMISSIONE  
ATQVE OBSERVANTIA  
OFFERT

GEORGIVS LVDOVICVS GRVENER



DE  
NEXV VERAE PIETATIS  
CVM  
PVRITATE DOCTRINAE  
AD ILLVSTRANDVM LOCVM  
EPH. II. IO.  
ET AD  
RENOVANDAM  
PACIS RELIGIOSAE  
MEMORIAM SECVLAREM.

---

PROOEMIVM.



uo maius malum est defectus verae pie-  
tatis, eo excellentius est illius restitu-  
tio beneficium. Cum enim profligata  
ex mundo pierate omnis Dei cultus ex-  
uleat, nil magis, qui Christi castra se-  
quuntur, in votis habere debet, quam, ut pietas illa, si

A

per-

perdita fuerit, rursus restituatur. Sed quomodo restitutio ista expectari potest sine puritate doctrinae? Haec enim nos vnicet viam sive media Deum colendi atque leges ipsius seruandi docet. Haec nobis vnicum medium salutis, quod est Christus, illiusque meritum monstrat. Haec itaque pietatem vnicet conseruare & promouere potest. En! igitur causas, cur beati nostri confessores hanc puritatem doctrinae contrataela pontificiorum tanta constantia propugnarint. Sed sicut Satanus semper insurgit contra id, quod Dei gloriam manifestat, & hominum salutem promouet, ira & hic finis beatorum confessorum nostrae religionis ab antiquo illo veritatis hoste multis modis impediebatur. Pura namque euangelii doctrina non tantum occultis fraudibus, sed etiam apertis bellis adeo impugnabatur, ut de ea actum esse videretur, cum Deus mirabiliter sua prouidentia repente ostenderet, nec ipsas inferni portas contra ecclesiam suam quicquam valere. Factum hoc est in primis anno CCCCCCV d. XXV Septembris, quo die pax illa notatu dignissima religionis composita est. Pax, quae nobis puritatem doctrinae e tenebris rursus erutam confirmavit, pietatem, quae fere ex terrarum orbe erat fugata, & in paucorum adhuc hominum animis sedem fixerat, reuocauit. Quantum itaque hoc est beneficium, quod Deus ecclesiis, praesertim germanicae nationis, pace illa religiosa, tunc temporis exhibuit! Et quanta est felicitas, quae ex ea in nostra usque tempora redundauit! Ut vero magnitudinem beneficij istius, cuius memoria secularis hodie denuo renouatur, animo recte comprehendamus, atque Deum pro tanta gratia, ut par est, pio

pio corde celebremus, paucis ostendemus, impossibile esse, ut vera pietas in christiano orbe coleretur, nisi restitura fuisset pura verbi praedicatio. Negotium hoc facilius procedet, si ad doctrinam Pauli Eph. II. IO. attendamus, cuius loci in se quidem satis perspicui breuem interpretationem, nonnullis obseruationibus illustratam, Sectio I exhibebit.

## SECTIO I. EXEGETICA

EPH. II. IO.

*Ἄντοι γάρ ἔσμεν ποίησα, κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐπὶ ἔργοις αὐτῶν, οἷς προητοίμασσεν ὁ Θεός, ὡντας ἀντοῖς περιποτήσωμεν.*

VERSIO LATINA

*Illiū enim sumus factura, creati in Christo Iesu ad operā bona, ad quae præparauit Deus, ut in illis ambulemus.*

### §. I.

**Q**ua Deus totum terrarum orbem sive totum nemurum rerum mutabilium ad manifestationem gloriae suae procreauit, homines autem ut pars huius mundi considerari possunt, ideoque luce meridiana clarius est, id, quod de vniuersali valet, de particuliari posse affirmari, sequitur homines quoque ad manifestationem gloriae diuinæ esse procreatōs. Cum vero gloria Dei non solum cognitione diuinarum perfectionum promoueat, sed etiam obedientia erga mandata Dei, dubium non est, *quoniam homines eum in finem creati sunt, ut actiones suas ad legum diuinarum normam componant.*

A 2

§. II.

Homines  
ad cultum  
Dei creati  
sunt.



Deus ho-  
minibus  
vires ad  
hunc cul-  
tum neces-  
sarias lar-  
gitus est.

### §. II.

Ad hunc Dei cultum opus erat certis viribus. Debebat enim homo Deum tam quoad essentiam, quam quoad attributa cognoscere, debebat voluntatem eius scire. Debebat deinde habere voluntatem ad illa, quae Deo placent, procluem, ut bona vera appetere malaque vera auersari posset. Hanc ob causam indigebat sapientia intellectus & sanctitate voluntatis. Et utramque Deus homini largitus est in primaeua creatione, cum eum ad imaginem suam formaret. Haec enim imago quid aliud erat, quam & intellectus & voluntatis summa perfectio? Conf. s. v. PRAESIDIS Inst. Thol. Dogm. Part. I. Cap. III. §. 25. seqq.

### §. III.

Sed perdi-  
dit illas  
homo.

Sed haud diu persistit primus homo in ista sibi concreata perfectione. Serpentis enim, aut potius ipius Satanae astutia & persuasionibus inductus est, ut legem Dei positivam, disertis verbis sibi latam, pro aeretice transgrederetur. Quo facto non tantum ipse diuinam imaginem, h. e. vires creatorem suum collendi, perdidit, verum etiam earum defectum & simul horribilem totius naturae corruptionem in suam posteritatem transfudit.

### §. IV.

Ergo re-  
staurari de-  
bent.

Hinc aut omnis cessare debebat cultus Dei, aut insigni opus erat mutatione humani cordis, qua prior illa perfectio, si non tota, aliqua tamen ex parte restauraretur. Eph. IV. 24. Coll. III. 10.

### §. V.

Restaura-  
tio haec

Et de hac mutatione spirituali Paulus in nostro textu loquitur, eamque vocat CREATIONEM IN CHRISTO



CHRISTO IESV, inquiens: 'Αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίηται, καὶ δicitur  
σθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦν.

### §. VI.

*Creatio* namque in genere quidem est productio <sup>Creatio</sup> quid?  
substantiae ex nihilo. Sed adfunt plura Sacrae Scri-  
pturae loca, quae indicant, hanc vocem *improprie* ac-  
ceptam quandoque etiam denotare spiritualem quan-  
dam mutationem hominis in melius, ut Pf. Ll. 12.  
2 Cor. V. 17. Gal. VI. 15. Iac. I. 18.

#### Scholion.

Graecum vocabulum *κτίσω* idem valet, quod Hebraeorum נָתַן  
nempe productionem *substantiac ex nihilo*. Sed sensu me-  
taphorico designat quoque spiritualem hominis mutationem.  
Sic David Pf. LI. 12. inquit: *Crea in me nouum cor.* H. l.  
impossibile est, rō creare in significatu primo sumi, sed ad-  
hibendus est sensus metaphoricus, ubi significat productionem  
eiusmodi qualitatum, quae nulla creaturæ opera possunt pro-  
duci. Vid. MART. GEIERVS in Comment. in Psalmos ad  
Pf. LI. 12 p. m. 781. Eadem ratione etiam verba 2 Cor. V. 17.  
explicari debent. *Qui est in Christo, noua est creatura, i. e. no-*  
*vis qualitatibus indutus est, spiritualiter est mutatus cet.*

### §. VII.

Intelligi autem h. l. per *creationem istam non priorem*, Vox crea-  
qua vitam & existentiam accepimus, sed *posteriorem*, Vox crea-  
qua nobis data est vita spiritualis, sequentia nos facile prie-  
edocebunt:

I. Ratio his verbis redditur asserti, quod imme-  
diate praecedit: *Fidem, qua saluamur, non esse opus*  
*nostrum.* v. 8. 9.(a) Huius rei impossibilitatem sic ra-  
tioci-

A 3

(a) Nonnulli Patrum, ut CHYRSOSTOMVS Homil. V. in E-  
pist. ad Eph. ad h. l. Tom. V. p. 894. haec verba non ratio-  
nem



tiocinando demonstrat: *Si ab eo creati, & hac creatione praeparati sumus ad bona opera, certe ipsi nobis hanc fidem dare haud potuimus.* Omne igitur argumenti robur in eo situm est, *quod bona opera posteriora sunt creatione.* Ast si creatio intelligeretur prima substantiae nostrae, quomodo ex eo sequeretur, fidem non esse opus nostrum? Nonne ipsa fides posterior est generatione naturali? Nonne igitur eam sequi potuerunt opera & praecedere fidem? Quid ergo? Noua & spiritualis intelligitur creatio, creatio, inquam, quae ipsam fidei productionem inuoluit, & qua posteriora esse non possent opera, si ipsa fidem in nobis efficerent.

2. Appellat hanc creationem *creationem in Christo Iesu, κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Quanquam haud negamus, & a Christo nos esse substantialiter creatos, quod etiam Apostolus nos docet Coll. I. 16. vbi de Christo inquit, *esse in eo creata omnia caeli terraeque,* tamen haecce adiectio *in Christo Iesu* plerumque in Sacra Scriptura denotat aliquid fieri intuitu Christi, per & propter eius meritum, vt Eph. I. 4. 7. II. 13. In primis autem hic sensus retineri debet, quando de rebus

nem asserti praecedentis esse putant, sed necessariam quandam limitationem, qua monerentur Ephesii, ne cogitarent, operum propterea bonorum nullam habendam esse rationem, quia fide, & non operibus fularentur. Eodem modo connexionem huius loci cum antecedentibus interpretatur B. AEGIDIUS HUNNIUS ad b. l. Opp. Tom. IV. p. 532. Sed quoniam in se verum sit, doctrinam de salute per solam fidem non excludere studium bonorum operum, nostra tamen interpretatio & verbis & cohaerentiae textus magis respondeat. Conf. V. S. V. PRAESES in Cogg. de Renovatione Cap. I. §. 10. p. 9. & Cap. II. §. 37. p. 46.

rebus in regno gratiae per Christum factis sermo est. Tunc enim res illae factae dicuntur, non tam per Christi omnipotentiam, quam potius intuitu & vi meritorum eius. Huius generis opus sine dubio est creatio illa, de qua Paulus in textu nostro loquitur. Intelligit itaque creationem factam per & propter Christi meritum, i. e. nouam & spiritualem creationem.

3. Apostolus inquit, *nos preparari ad bona opera* per illam creationem. Prima quidem Adami creatio, quae imaginis diuinæ largitionem simul inuoluebat, praeparatio ad bona opera dici poterat. Sed de nostra creatione id non valet. Nascimur enim cum defectu virium bene operandi, & cum corruptione ac dispositione totius naturae ad queuis mala. Hinc etiam quemcunque hominem, ex carne natum, renasci oportet ex Spiritu, ut in regnum coelorum ingredi possit. Si qua ergo datur creatio, qua praeparamur ad bona opera, illa sine dubio est noua & spiritualis, naturali illa generatione posterior.

### §. VIII.

Sed iam quaeritur, qualis illa sit mutatio, quam <sup>Creatio est regeneratio.</sup> Paulus h. l. creationis vocabulo describere voluit? <sup>regeneratio.</sup>  
**DVAE** nimirum sunt, quas nos in homine fieri statuimus, mutationes, **REGENERATIO & RENOVATIO.** Et sicuti haec posterior est ipsum studium & habitus bonorum operum, (vid. S. V. PRAESES in *Institut. Theol. Dogm.* §. 372.) ita prior denotat fidei collationem. (Vid. IDEM l. c. §. 354.) Iam vero Apostolus novam illam creationem a studio & habitu bonorum operum aperte distinguit. Nam creatione, docet,



docet, nos praeparari ad bona opera, ut in illis am-  
bulemus. Ergo quando spiritualiter creamur, non-  
dum adsunt bona opera, multoque minus habitus, ea  
faciendi, qui non nisi exercitio comparari potest. Ita-  
que haec creatio non est infusio habitus bene operan-  
di, sed alia mutatio, quae eam praecedet. Nimirum,  
sicut vita naturalis differt a creatione substantiali, &  
hac vtique posterior est, ita & ambulatio in bonis ope-  
ribus, quae alias dicitur *nova vita* Rom. VI. 4. differ-  
re debet a creatione spirituali, qua haec vita confertur.  
Videmus ergo, *solan regenerationem per creationem*  
*istam intelligi*, quatenus differt a renouatione, & in  
fidei collatione consistit. Conf. BALDVINVS in Com-  
ment. ad h. l. p. 879.

### §. IX.

Rationes  
appellandi  
indicantur.

Causa, cur regeneratio dicatur creatio, multiplex  
esse potest. Nam

1. Sicut homo se ipse creare non potest, ita nec  
regenerare. Cum enim regeneratio sit productio fidei  
§. 8. haec vero productio opus Spiritus Sancti, satis  
apparet, hominem sese non posse ipsum creare.

2. Homo per creationem accipit vitam natura-  
lem, sive aetuositatem, & vires actiones quasdam  
peragendi. Sic & regeneratio nobis vires bona opera  
faciendi confert, cum fidem producat §. 8. quae sine  
operibus esse nequit Iac. II. 17.

3. Per creationem nexus oritur inter creatorem  
& creatum; sic & per regenerationem nexus oritur in-  
ter regenerantem, qui est Spiritus Sanctus, & regene-  
ratum, qui est homo.

### §. X.

§. X.

Creationem istam spiritualem Deus aut immediate  
efficit, ut hoc modo Adamum olim creauit, & Lazarum  
e sepulcro euocauit, aut interueniente aliquo medio.  
Non est hic disputandi locus, num immediata hominis  
adulti regeneratione, quae sine omni medio fiat, possibi-  
lis sit. (b) Sufficit, Deo placuisse ad salutarem hanc  
hominis mutationem medium aliquod destinare, quod  
est verbum eius. Nam Iacobus Cap. I. 18. inquit, eum  
nos regenerare λόγος αληθείας. Et Petrus I Ep. I. 23.  
nos regenerari verbo Dei viuo & manente in aeter-  
num, idque propterea vocat semen incorruptibile.  
Constat autem, verbum hoc a multis perperam ex-  
plicari, & opiniones humano ingenio inuentas annun-  
ciari hominibus, ac si essent ipsum Dei verbum. Sed  
cum traditiones istae nihil minus sint, quam λόγος αλη-  
θείας, & incorruptibile illud semen, quo regenerari  
dicimus, euidens est, spiritualem hominum creationem  
possibilem non esse, nisi verbum Dei pure doceatur.

§. XI.

Haec est creatio ista, qua creati esse dicimur <sup>Creatio</sup> ἐπὶ ἔγροις αὐτοῖς. Partic. ἐπὶ non tantum IN sed etiam noua est

- (b) Nouimus quidem, conuersionem aliam esse *ordinariam*,  
aliā *extraordinariam*. Sed quando haec posterior alicui  
contingit, ea tamen fieri non solet sine verbo, quemad-  
modum in exemplo conuersonis Pauli videmus. Differit  
tantum *extraordinaria* conuersio ab *ordinaria* aut in modo  
veritates salutares communicandi cum homine, aut in modo  
de eum conuincendi, aut in utroque simul. Caeterum  
autem idem verbum est medium regenerationis, siue Deus  
*ordinarie*, siue *extraordinarie* agat cum homine.



præpara-  
 tio ad B.O. AD significat, vt bene monuit, & exēmplis compro-  
 bavit B. SAL. GLASSIVS in Phil. Sacr. Lib. III. Tract.  
 VI. p. 1077. Conf. ERASMVS, GROTIUS ad h. l.  
 itemque RAPHELIVS in annot. Xenoph. ad h. l. & ad  
 Matth. XXVI, 50. Et hic posterior significatus est  
 huius loci. (c) Non enim in aut per opera, sed per  
 Dei gratiam creati sumus, vt bona opera faciamus.  
 Significat autem part. ēnī h. l. non tantum causam fi-  
 nalem sed simul ipsum effectum. Nam noua ista crea-  
 tio vere est causa efficiens bonorum operum. Id se-  
 quentibus nos docet diuus Apostolus ἀς πρετορίασεν ὁ  
 Θεός. Varie haec verba accipiuntur ab interpreti-  
 bus. Plerique legunt & pro oīs q. d. quae (opera) præ-  
 parauit. Ita VVLGATA, CORNELIVS A LAPIDE,  
 CALVINVS, BALDVINVS, CALIXTVS, SCHMIDIUS  
 & alii. Neque negamus, verba secundum genium  
 linguae sic reddi posse. Nam relativa saepius respon-  
 dent antecedentibus, ad quae referuntur, genere, nu-  
 mero, & casu. Huius generis constructio e. g. legi-  
 tur

(c) In VVLGATA legitur: *Creati in Christo Iesu in bonis  
 operibus.* Et videtur haec versio Pontificiorum sen-  
 tentiis patrocinari. Illi enim per creationem istam in  
 Christo Iesu intelligunt iustificationem primam, qua pri-  
 minus habitus pie viteundi infunditur, & homo quasi prea-  
 paratur ad alia opera, quae illis dicuntur *de condigno*, &  
 ad iustificationem secundam. Hinc hominem in bonis  
 operibus, aut per ea, tanquam rationem formalem creari  
 putant. Vid. CORN. A LAPIDE ad h. l. & TH. STA-  
 PLETONVS de Iustif. Lib. V. Cap. XVIII. p. 170. Sed  
 iam ostendimus, bona opera a negotio salutis hoc loco  
 remoueri ex hac causa, quia posteriora sunt creatione. Si  
 vero creationis huius causam formalem constituerent, illa  
 non possent esse posteriora.

tur Tit. III. 5. οὐκ ἐξ ῥεγμῶν - - ἀν ἐποίησαμεν. At enim vero res ipsa docere potest, subintelligendum esse ἡμᾶς, vt sensus sit: *Quibus, seu ad quae nos Deus praeparauit.* Non enim opera praeparantur a Deo, vt facilius praestari possint, sed homo praeparari debet, vt ea viribus a Spiritu Sancto acceptis faciat. Hinc & interpres, quibus placet *opera praeparari*, locutionem sic intelligunt, vt hominem ad ea praeparari sentiant. (d) Singularis tamen est opinio B. S. E. B. SCHMIDII in Coll. Bibl. Post. Loc. XIII. §. 13. p. 248. afferentis, opera a Deo praeparata esse, non tantum, quatenus a Spiritu Sancto excitamur, & iuuamur, vt bene operari possimus, sed etiam sic, vt per Christi meritum opera nostra in se imperfecta sibi reddiderit grata, & omnia nobis parauerit, antequam quicquam bonorum operum facere potuimus. Sed licet haec opinio in se sit vera, hoc tamen loco vnicce de praeparatione hominis, seu collatione virium & aptitudinis ad bona opera agitur. Addit enim apostolus: *Vt in illis ambulemus.*

### §. XII.

BONVM OPVS in genere est actio legi confor-  
mis, & si tantum externam actionis conformitatem

B 2

habeat,

(d) Sic CORNELIUS A LAPIDE ad h. l. opera praeparari dicit, quatenus Deus nobis dat gratiam actualem & habitualem ad ea facienda. CALVINVS: Quatenus Dei manus aptamur, formamur, & idonei reddimur. B A L D V I N V S: Quatenus in verbo Deus normam viuendi prescrivit, suasque singulis stationes assignavit, & que in ibi facienda sunt, definit. CALIXT V S: Quatenus nobis ad ea Sp. S. ductu & instinctu praecepsit, intellectum nostrum illuminauit, vt, quae bona sint, poverius, & voluntatem excitauit, vt eadem velimus.

Bonum opus quid?



habeat, MATERIALITER, si vero & internam animi agentis, FORMALITER bonum est. Vid. S. V. PRAESES in *Inst. Theol. Dogm.* §. 361. Quando itaque ad bona opera per nouam creationem praeparari dicimur, non tantum materialiter bona, quae & homo naturalis aliquo modo facere potest, sed in primis formaliter bona intelligenda sunt. Nam Deus respicit cor hominis 1 Sam. XVI. 7. Summa legis exigit amorem Matth. XXII. 37. 39. & non tantum externis actionibus, sed & internis cordis motibus violatur Matth. V. 22. 28.

### §. XIII.

Specialius determinatur.

Haec bonorum operum consideratio simul Pontificiorum figmenta euerit, quibus suam hypothesin de iustificatione & salute per opera ornare solent.

1. Sunt, qui opera legis caeremonialis intelligi putant, quando opera a negotio iustificationis penitus excluduntur. Sed hoc Paulus redarguit loco a nobis explicato. Opera enim, quibus fidem accendi, aut salutem promoueri negat v. 8. 9. sunt opera, ad quae noua creatione praeparamur, in quibus nobis ambulandum est, & quae adeo non sunt opera legis caeremonialis. Porro haec opera, cum sequantur nouam creationem, & qui spiritualiter creati seu regenti sunt, sine dubio etiam iustificati sunt, esse non possunt ratio formalis iustificationis.

2. Alii opera tantum sine gratia facta a iustificatione excludi volunt. Vid. PASCHASII QVESNELI Nov. *Test. ad h. l.* & *ad Rom. III. 28.* Sed nonne opera, ad quae per nouam creationem praeparamur, sunt

sunt opera per gratiam facta? Et tamen non influunt  
in salutem, nec adsunt, dum spiritualiter creamur.

3. Rursus alii opera, quae primam iustificationem sequuntur, & quae ab illis *merita de condigno* appellari solent, h. l. innui contendunt. Ex horum igitur opinione homo per *opera de congruo* praeparatur ad primam iustificationem, seu nouam creationem, per iustificationem vero disponitur, seu aptus redditur ad opera de condigno. Sed, ut taceam, discrimen hoc Scripturam ignorare, manifestum est, ea in primis opera excludi, & noua creatione posteriora statui, quae per solam gratiam fiunt. Haec autem non opera de condigno, sed de congruo esse ipsi docent Pontifici. Suis ergo hypothesisibus ipsis commentum hoc destruunt.

#### §. XIV.

His qualibuscunque obseruationibus interpositis tandem consideremus finem, cui destinata est haec praeparatio ad bona opera per nouam creationem. Ambulare in bonis operibus nihil aliud est, quam ea exercere, ut videre licet ex Rom. VI. 4. VIII. 1. Gal. V. 16. & aliis locis. Sed quemadmodum, qui ambulant, non tantum viam ingrediuntur, sed etiam in ea pergunt, & denique iter conficiunt, ita in primis hac metaphorica locutione exercitii bonorum operum perpetua continuatio significari videatur. Praeclare igitur CHYSOSTOMVS Hom. IV. in Epist. ad Eph. Tom. V. in nou. Test. p. 894. in h. l. commentatur: Non ut incipiamus, sed, ut



*ut ambulemus. Perpetua enim virtute nobis opus est,  
et extensa usque ad nostrum decessum. Neque enim, si  
esset ingrediendum via, quae fert ad urbem regiam, de-  
inde cum maiorem eius partem consecrassimus, circa i-  
psum finem ignavi et molles redditi sedissemus, nobis pro-  
fuerit ingressus. Ita nec spes vocationis quicquam pro-  
fuerit rem illam possidentibus, nisi recte ad vocem ap-  
pellantis ambulauerimus.*

### §. XV.

*Vera pietas* . . . . . *Iam si breuiter repetimus ea, quae haec tenus ex  
fine puri-  
tate doctri-  
nae esse  
nequit.*  
*verbis Pauli didicimus, sole clarius erit, veram pietat-  
em haberet et exerceri hanc posse, nisi fundata sit in pu-  
ra verbi praedicatione. Vidimus enim noua & spiritu-  
ali creatione homines ad bona opera praeparari §. II.  
qui adeo ante illam & sine illa omnibus carent viribus  
bene operandi, & quasi nihil spirituale sunt. Sed  
ista noua creatio nihil aliud est, quam regeneratio §. 8.  
Quare cum homines pura verbi diuini doctrina rege-  
nerentur §. IO. nemo non videt, ea deficiente, o-  
mnem quoque pietatem, omnem rectum Dei cultum  
deficere.*

### §. XVI.

*Corollaria. Cogitur ex eo duplex corollarium:*

1. *Vbicunque verbum Dei pure praedicatur, ibi  
homines pios & sanctos reddi posse;*
2. *Et quacunque doctrina hominum corda ad ve-  
ram pietatem disponuntur, eam omnino esse veram.*

## SECTIO

SECTIO II. DOGMATICA  
 IN QVA  
 DEMONSTRATVR  
 PROTESTANTIVM DOCTRINAM ITA  
 COMPARATAM ESSE, VT AB EA VERA  
 PIETAS DEPENDEAT.

§. XVII.

Cum igitur nexus verae pietatis cum puritate do- Conuecio-  
 ctrinae ex dicto nostro Eph. II. 10. fatis luculenter  
 sit demonstratus, huius rei non alia opus est probatione.  
 Ergo id vnicē ostendendum nobis erit, protestantium  
 doctrinam hunc habere effectum. Probabimus nem-  
 pe, nostram doctrinam sic esse comparatam, vt, si ple-  
 no assensu credatur ab hominibus, illorum cor ad ve-  
 ram pietatem disponat, piosque & sanctos motus in  
 eo semper operetur. Et quia hoc certissimum est  
 doctrinae verae indicium, porro demonstrabimus, pro-  
 testantium doctrinam solam esse veram. Ut veritas  
 eo clarius possit monstrari, vtemur methodo analytica.

§. XVIII.

Quia ergo constat, nos verbo Dei regenerari & Primum  
 spiritualiter creari (§. 10.) item vbi verbum dei pure argumentum,  
 praedicetur, ibi homines pios & sanctos reddi posse, (§.  
 16.) cuncta redeunt ad hoc argumentum: *Quacunque*  
*doctrina homines spiritualiter creari & regenerari possunt,*  
*ea quoque est principium & fundamentum verae pietatis.*  
*Atqui protestantium doctrina homines spiritualiter creari*

¶

❧      ❧      ❧

*Ergo regenerari possunt; Ergo est principium & funda-  
mentum verae pietatis.*

### §. XIX.

Probatio  
minoris.

Maior syllogismi §. 18. propositi ex Sectione I.  
exegetica satis appetat. Illius ergo demonstratione  
nunc supersedemus. Minoris vero probationem sic  
instituimus: *Quacunque doctrina fides in Christum ac-  
cendi potest, illa quoque homines spiritualiter creantur.  
Atqui protestantium doctrina cet. Ergo cet.*

### §. XX.

Probatio  
maioris  
syllogismi  
iam propo-  
fici.

Vtraque praemissa huius syllogismi demonstra-  
tione indigent. Ergo primum maioris probationem  
aggregiamur. Est vero productio fidei noua illa crea-  
tio sive regeneratio. Cum enim tantum fide saluari  
possimus, & Sacra Scriptura regenerationem medium  
salutis esse doceat, Io. III. 3. Tit. III. 5. exinde patet,  
creationem nouam seu regenerationem nihil aliud esse,  
quam productionem fidei. Vid. S. V. PRAESIDIS  
*Inst. Theol. Dogm.* §. 354. Sed mittamus hanc de-  
monstrationem, & tantum ad medium terminum,  
quem dictum nostrum Eph. II. 10. nobis suppeditat,  
attendamus. Ex illo sic concludimus: *Quacunque  
mutatione homines ad bona opera praeparantur & dispo-  
nuntur, ea est spiritualis creatio & regeneratio. Atqui  
fide cet. Ergo cet.*

### §. XXI.

Quidnam  
praepara-  
tio ad bona  
opera in-  
voluat.

Maior est in confessio ex Eph. II. 10. vbi expresse  
dicimur noua & spirituali creatione praeparari ad bona  
opera. (§. II.) Igitur ad minoris tantum probatio-  
neum,

nem, nempe: *Fide nos praeparari ad bona opera, accingamur.* Quae vt facilius procedat, id, quod praeparatio ista inuoluit, breuiter ostendemus. Inuoluit autem

1. *Scientiam legis.* Bona enim opera cum sint actiones legi conformes (§. 12.) manifestum est, præparationem ad bona opera hanc scientiam continere.

2. *Scientiam motiuorum, quibus voluntas ad appetendum bonum flebitur.* Motiuua sunt repreäsentationes bonorum & malorum. Cum ergo voluntas hominum ita sit disposita, vt nihil possit appetere, nisi quod intellectus bonum esse iudicauerit, & nihil auferari, nisi quod malum esse censeatur, sequitur, & ad præparationem ad bona opera requiri scientiam motiuorum.

3. *Dispositionem voluntatis motiuua sequendi.* Licet enim in genere voluntas semper appetat id, quod intellectus bonum, & aueretur, quod malum esse sentiat, tamen haec dispositio voluntatis post Adami lapsum valde est depravata, sic vt bonum videre possumus, & tamen auersemur, malumque cognoscere, & tamen appetamus. Quare & Paulus Rom. VII. 19. inquit: *Bonum, quod volo, haud facio i. e. licet intellectus meus rem aliquam vt bonum cognouerit, tamen voluntas mea motiuua haec non sequitur.* Et v. 23. aliam video legem in membris meis, quae contradicit legi intellectus mei. Vid. S. V. P R A E S I D I S *Instit. Theol. Dogmat.* §. 92. 93. & EIVSD. *Tra&et. de Lapsu & Pecc. Orig. Cap. V. §. 135.* Cum ergo præparatio ad bona opera sit collatio virium & aptitudinis bona opera faciendi, porro sequitur, ad illam

C quo-

quoque referri debere dispositionem voluntatis motiva haec sequendi. (e)

### §. XXII.

*Fides quid?* Fides est desiderium meritum Christi participandi & acquiescentia in eo, nec non in promissionibus angelicis. Vid. S. V. PRAESIDIS *Inst. Theol. Dogmat.* §. 289. 290. Cum vero desiderium praesupponat cognitionem, & acquiescentia assensum; Fides in his tribus partibus continetur.

I. *Praesupponit cognitionem.* Cum enim meritum Christi desiderare, illudque nobis applicare non possumus, nisi illud cognouerimus, illius etiam cogni-

(e) Generalis illa & naturalis dispositio animae humanae, id tantum appetendi, quod bonum esse iudicamus, & id auerfandi, quod malum, non tollit defectum bonum verum appetendi, & malum verum auerfandi, licet vtriusque motiva non ignarentur. Nam interueniente peccato originali homo *primum* de bono & malo non tantum ex ratione & reuelatione, sed etiam secundum sensus iudicat, quo fit, vt, quod ex uno principio bonum esse cognovit, ex altero pro malo habeat. Quando igitur, vissis ex ratione aut reuelatione motuis, bonum appetendi, illud tamen auerfatur, motiva sensuum praefert, & bonum, vt tale cognitum, sub ratione mali auerfatur & vice versa. *Secundo* congenitus ille & exercitio corroboratus habitus sensuialia & obscura motiva, nec non voluntatem & tedium sensuale sequendi, quo voluntas & absque interna motiuorum conscientia rapitur in prohibita, impedit, quo minus saniora & rectiora motiva sequi possit, etiam si rationes contrarium volendi ipse ignoret. Atque hac obseruatione paradoxon illud poëtarum, experientia tamen satis confirmatum, explicatur:

Video meliora proboque,  
Deteriora sequor.

tio ante existere debet, quam fides in homine adesse potest. Quare etiam Paulus inquit, fidem oriri ex praedicatione verbi Rom. X. 14. 17. Haec autem praedicatio cognitionem operatur.

II. Altera pars fidei est assensus. Cum enim fides sit acquiescentia animi in bonis per Christum impetratis, praesupponit certitudinem cognitionis. Hanc certitudinem vero cum assensus operetur, sine illo fides existere nequit. Quare & Iacobus fidem & dubitationem sibi contradicere probat Cap. I. 6.

III. Posita vero cognitione & posito assensu, ponitur denique fiducia. Quae cum sit desiderium meritum Christi participandi & acquiescentia in illo merito, manifestum est, fiduciam esse fidem ipsam. Vid. S. V. PRAESIDIS Instit. Theol. Dogm. §. 293. & Tractat. de Iustificatione Cap. III. toto.

### §. XXIII.

Quibus ita praesuppositis, manifestum est, I. *Nos per fidem per fidem accipere scientiam legis.* Meritum Christi enim desiderare non possumus, nisi sciamus, nos esse peccatores morti aeternae obnoxios, atque sic contritionem in nobis sentiamus. Haec autem peccatorum cognitio, haec cordis contritio, ex nullo alio fundamento, quam ex lege oriri potest, Rom. III. 20. VII. 9. IO. quae est omnium actionum sufficientissima norma, bonum & malum recte decernens, & transgressi onibus aeternas poenas denuncians. Dum ergo fides, quae est desiderium meriti Redemptoris nostri, in nobis generatur, intellectus recta legis diuinae notitia instruatur, necesse est.

C 2

§. XXIV.

## §. XXIV.

Notitiam  
motiuorum.

**II. Per fidem quoque acquiritur notitia motiuorum.**  
 Habet quidem ratio nonnullas rationes Deum diligendi. Cognoscit enim Deum, ut creatorem, ut conservatorem, ut benefactorem. Ex tali cognitione oritur aliqualis dispositio ex Dei perfectionibus voluptatem capiendi, quae dispositio AMOR vocatur. Ast haec motiva non sufficiunt ad fletendum voluntatem, ut actuali & determinato amore in Deum vere feratur. Nam ex altera parte peccator sentit iram Dei. Et quoniam ira non potest amorem excitare, homo autem naturalis reconciliationem hominum cum Deo ignorat, manifestum est, haec motiva haud sufficere. Hinc recte APOLOGIA A. c. p. 66. Edit. Rechenberg. Non potest, inquit, cor vere sentiens Deum irasci, diligere Deum, nisi ostendatur placatus, donec terret, & videtur nos abiicere in aeternam mortem, non potest se erigere natura humana, ut diligit iratum, iudicantem, & punientem. Sed fides, dum in nobis generatur, nos plane convincit, Deum nobis reconciliatum, iram eius deletam, & tantum eius erga nos amorem esse, ut non tantum filium suum in mortem pro nobis tradiderit, sed etiam propter illum peccata nobis condonare velit. Haec sunt motiva sufficientia & efficacissima Deum diligendi & mandata eius seruandi, imo sola motiva, quibus humana voluntas ad hoc operum genus fleti potest.

## §. XXV.

**Porro dispositi-**  
**onem**  
**cordis haec**  
**motiva se-**  
**quendi,**

**III. Per fidem denique acquiritur etiam dispositio**  
**cordis haec motiva sequendi.** Defectus huius dispositi-

onis partim a praedominio motiuorum sensualium,  
 partim

partim a vehementia voluptatis & taedii sensualis, &  
 ab habituali inclinatione ad bona apparentia dependet.  
 Sed vtrumque malum, licet non penitus, remouetur  
 ea mentis transformatione, qua fides nobiscum com-  
 municatur. *Primum* enim caelestes illae veritates,  
 quae sunt fundamentum fidei, dum ab intellectu ap-  
 prehenduntur, vim suam diuinam ita exserunt, vt  
 non parum roboris amittant opiniones carnis, quibus  
 voluntas ad appetenda bona apparentia disponitur, &  
 inclinatur. Et quo saepius & diligentius salutares il-  
 lae veritates in animo ponderantur, eo magis frangi-  
 tur vis motiuorum sensualium. *Secundo* simulac pri-  
 ma fidei initia adsunt, non tantum piae cogitationes in  
 intellectu, sed etiam sancti motus in voluntate exci-  
 tantur, qui inprimis se se opponunt prauis concipi-  
 sciens, occasione rerum mundanarum, ex carne or-  
 tis. Haec contradic̄tio inclinationum, quae *lucta car-  
 nis & spiritus* appellari solet, efficit, vt desideria pra-  
 ua successiue infirmentur, & hinc impedimenta po-  
 tiora remoueantur, quae flexionem cordis per mo-  
 tiua diuina impossibilem antea reddebant. Quare  
 etiam ad hanc luctam carnis & spiritus, qua existente  
 & perpetuo recurrente fides generatur, prouocat  
 APOLOGIA AVG. CONF. ostensura, qua ratione fi-  
 des humanum cor ad veram pietatem disponat. In-  
 quit enim p. 86. *Fides illa, de qua loquimur, existit in  
 poenitentia, hoc est, concipitur in terroribus conscientiae,  
 quae sentit iram Dei aduersus nostra peccata, & quaerit  
 remissionem peccatorum & liberari a peccato.* EADEM  
 QVE docet p. 134. Haec fides, inquit, de qua loqui-  
 mur, existit in poenitentia. cet.

C 3

§. XXVI.





### §. XXVI.

**Accensio fi-  
dei est spi-  
ritualis  
creatio.**

Hic se praesuppositis nunc clarissime patet, accen-  
sionem fidei esse spiritualem creationem. Cum enim si-  
des nobis conferat scientiam legis §. 23. ac nobis ac-  
quirat notitiam motiuorum §. 24. denique, nos di-  
spónat, vt haec motiva sequi possumus §. 25. illius  
productione homo ad B. O. praeparatur §. 21. Sed  
mutationes, quae homines praeparant & disponunt  
ad B. O. sunt spiritualis creatio & regeneratio. Ergo  
ea sit, dum fides in corde concipitur.

### §. XXVII.

**Protestan-  
tium do-  
ctrina nos  
regenerare  
potest.**

Atque hic est altera praemissarum argumenti, quo  
demonstrare volebamus, solam Protestantium doctri-  
nam eam esse, qua homines regenerari aut spiritualiter  
creari possint. (§. 19.) Ergo nunc properandum  
nobis est ad alteram, qua asseruimus, *hac ipsa Protes-  
tantium doctrina fidem, de qua diximus, accendi &  
producere posse.*

### §. XXVIII.

**Docet ex-  
istentiam,  
necessita-  
tem, utilita-  
tem meriti  
Christi, ac  
possibilita-  
tem & cer-  
titudinem  
illud parti-  
cipandi.**

Fides est desiderium meritum Christi participan-  
di, & acquiescentia in illo merito §. 22. Vid. S. V.  
**PRAESIDIS Inst. Theol. Dogm. §. 289. 290. 293.**  
Supponit autem & notitiam & assensum §. 22. No-  
titiam, dico, & assensum, non qualemcumque, sed  
eam, in quo ratio sufficiens contenta esse potest, &  
desiderandi meritum Christi eiusque fructus, & suam  
in eo collocandi fiduciam. Atqui haec notitia, hic as-  
sensus pro obiecto suo habere debet existentiam, ne-  
cessitatem, utilitatem meriti Christi, possibilitatem il-  
lud participandi, imo & certitudinem huius participa-  
tionis

tionis sub certa conditione, cuius praesentia ab homine sentiri potest.

### §. XXIX.

Haec autem omnia Protestantes docere ex se-<sup>Probatio-</sup>quentibus constabit.

I. Docent Protestantes, *existere meritum Christi*. Est autem *meritum Christi* omne id, quod praestitit in salutem nostram. Vid. S. V. PRAESIDIS Institut. Theol. Dogm. §. 227. Ad salutem vero nostram non solum necessarium erat, ut Christus pro nobis satisficeret, sed etiam, ut iustitiam nobis acquireret. Cum igitur doceat, Christum pro nobis satisfecisse, ac legem adimpleuisse, sequitur, docere quoque, existere meritum Christi, quod erat primum §. 28. (f)

### II. Pro-

- (f) De satisfactione Christi seu *merito passio*, multa agunt librorum symbolicorum ecclesiae nostrae loca, veluti A V G. CONF. Art. III p. 10. Art. XXI. p. 19. APOLOG. Art. XII. p. 254. CATECH. MIN. p. 317. & alia. Sed de *merito actiu* raris disputatur, quod ideo factum esse puto, quia sufficere videbatur homines instruxisse, non per opera, sed per fidem quaerendam esse iustificationem propter Christum, qui pro peccatis nostris satisfecisset. Nam, quemadmodum GERHARDVS noster in Conf. Cath. Lib. II. Part. III. Art. XIII. Cap. IV. p. 1423. inquit: *Quamvis gratuita peccatorum remisso, & iustitiae per Christum partas imputatio docendi gratia duas quasi partes iustificationis a quibusdam vocentur, illae tamen vel realiter a se inuicem non differunt, vel certe a se inuicem separari non possunt, cum apostolus unum eorum de altero directe affirmet, & unum per alterum reciproca affirmatione probet.* Rom. IV. 4. 5. Mox tamen & antiquissimi theologi vtrunque Christi meritum distinguere coeperunt, vt obiectum fide apprehendendum certius & luculentius constet. Vid. B. MART. CHEMNITIUS in Exam. Concil. Trident. P. I.



II. Protestantes docent: *Hoc meritum esse valde necessarium.* Peccatores enim sumus & aeternae mortis rei, Deus vero salua sua sanctitate & iustitia sine interueniente satisfactione peccata nobis condonare, nosque in gratiam suam recipere nequit. Et nos nihil habemus, quo placare possimus summum Numen, nisi Christi, qui pro nobis sese tradidit, meritum. Quatenus ergo Protestantes docent, nos esse peccatores, patet, illos simul docere necessitatem meriti Christi. Idem tradunt de merito eius aetiuo. Nam quemadmodum Deus neminem pro iusto declarare potest, qui omni iustitia prorsus caret, atque homo nihil habet propriae iustitiae, necessum est, ut alia praesto sit iustitia perfectissima legis impletione acquifita, & nobis ut nostra propria imputanda. (g) Quod erat secundum §. 28.

### III. Do-

P. I. Loc. VIII. Art. VII. p. m. 199. Et postquam IOANNES PISCATOR, Reformatus, meritum Christi aetuum directe impugnauit, solum passuum sufficere ratus, illud maiori industria a nostris pertractatum est. Vid. S. V. PRAESES in Institut. Theol. Dogm. §. 220. 222 & in Tract. Germ. de Iesu Christo Redemptore P. III. Cap. III. §. 278. neque defunct loca Libb. Symbb. quae ex instituto de hac Christi iustitia agunt. Vid. APOL. AVG. CONF. Art. II. p. 76. FORM. CONCORD. p. 686. seqq.

(g) Pertinent huc verba incomparabilis Theologi B. HENR. HOEPFNERI in Disp. X. de Iustif. p. m. 644. seqq. *Sine iustitia, inquit, perfecte legi praefixa Deus neminem vult iustum habere in conspectu suo, prout in tribunali iustificationis sedet. Ps. CXLIII. 2. Quia vero legis impletio nobis erat impossibili facta est translatio legis Ebr. VII. 12. in filium Dei, qui legi satisfaceret.* Cf. S. V. PRAESES in Institut. Theol. Dogm. §. 279. & in Tract. Germ. de Iustif. Cap. II. §. 29. seqq.

III. Docent, *id esse vtile, valdeque salutare.* Docent enim, meritum Christi esse vel *actuum*, vel *passuum*; Hoc, quod est satisfactio, nobis comparare peccatorum remissionem & absolutionem a poenis; Illud, quod est legis adimpletio, nobis comparare declarationem pro iusto, quacum connexum est ius filiorum Dei, spesque firmissima salutis. Vid. S. V. PRAESIDIS *Instit. Theol. Dogm.* §. 284. Nonne vero ex hisce dogmatibus manifestissime sequitur, ex protestantium doctrina nihil utilius, nihil salutarius esse merito Christi? Quod erat tertium §. 28. Docent

IV. *Possibilitatem, meritum illud participandi.* Docent enim, Christum non tantum pro omnibus & singulis satisfecisse, & legem impleuisse, sed etiam, Deum serio velle, ut vtrumque hoc meritum omnibus & singulis in salutem imputetur. Quare concludimus, si protestantes vniuersalitatem meriti Christi, & gratiae diuinae docent, ex eorum doctrina etiam possibilitem, meritum Christi participandi, agnosci posse. Quod erat quartum §. 28.

V. Denique & certitudinem participationis meriti Christi sub conditione docent, quae sentiri omnino potest. Partim enim docent, haec bona nobis a Deo semper offerri, cum nobis verbum suum, ac euangelium praedicari iubet, eumque efficaciter in nobis operari fidem, quam consequimur, nisi resistamus. Partim docent, nos impetrare haec bona sola fide, quatenus illa est & consensus in meritum Christi, i. e. desiderium & fiducia. Vid. S. V. PRAESIDIS *Instit. Theol. Dogm.* §. 288. seqq. Partim docent, hanc fidem, si adsit, ab unoquoque posse sentiri, quatenus est fiduciialis



cialis apprehensio meriti Christi, quae sine interna motuum cordis conscientia existere nequit. Haec autem est illa conditio, qua existente certiores nos reddimur, quod meriti Christi facti simus participes. Quod erat quintum §. 28.

### §. XXX.

Protestan-  
tium do-  
ctrina fi-  
dem accen-  
dere potest.

Cum ergo ad excitandam fidem requiratur notitia existentiae, necessitatis, utilitatis, possibilis & certitudinis meritum Christi participandi, §. 28. & haec omnia a protestantibus doceantur, §. 29. ex eo clarissime patet, *doctrinam protestantium accendere in nobis fidem.* (h)

### §. XXXI.

Ergo nos  
potest spi-  
ritualiter  
creare

Collatio fidei est regeneratio sive creatio noua. §. 19. Cum igitur Protestantium doctrina in nobis fidem accendat, §. 30. sequitur, *eam quoque nos regenerare s. spiritualiter creare.*

### §. XXXII.

Est princi-  
pium &

Doctrina vero, quae hominem spiritualiter creat, est principium & fundamentum verae pietatis. §. 18.

Cum

(h) Fides quidem diuina verbi divini efficacia in nobis generatur. Sed quemadmodum Protestantium doctrina est ipsius spiritum Dei verbum, ita nec omne Dei verbum destinatum est ad hominum regenerationem. Lex e. g. est verbum Dei, habetque virtutem diuinam, effectus salutares producendi. Sed non data est ad accendendam fidem, ideoque id efficiendi virtutem non habet. Quapropter protestantium doctrinam ideo fidei producendae sufficere statuimus, quia eam imprimis verbi divini partem pure & sincere tradit, cui vis inest diuina fidem hominibus conferendi, & quae ad hunc praecise effectum immediate destinata est a Deo.

Cum igitur protestantium doctrina nos spiritualiter fundamen-  
creeat, §. 31. sequitur, *eam esse principium & funda-*  
*mentum verae pietatis.*

### §. XXXIII.

Sed illa doctrina, quae hominum corda disponit <sup>Est vera,</sup> ad veram pietatem, est vera. §. 16. n. 2. Quare cum doctrina protestantium sit principium & fundamen-  
tum verae pietatis, §. 32. *illam utique veram esse o-*  
*portet.*

### §. XXXIV.

Sola doctrina vera nos spiritualiter creare & re-  
generare potest. §. 18. Deficiente ergo vera doctrina homo regenerari nequit. Deficiente vero illa creatio-  
ne noua, deficit pietas. §. 18. Cum ergo protestan-  
tium doctrina sit doctrina vera, §. 33. & plures doctri-  
nae sibi inuicem oppositiae simul verae esse nequeant,  
(per princ. contr.) exinde recte concludimus, *defici-*  
*ente hac doctrina nos neque regenerari, neque veram pie-*  
*tatem existere posse.*

### §. XXXV.

Atque ex his omnibus tandem conficitur, solam protestantium doctrinam, qua posita homines regenerari possunt, (§. 32.) & qua deficiente nulla pietas vera haberi potest, (§. 34.) *solam, inquam, Protestantium doctrinam esse veram, illiusque veritatem ex in-*  
*fluxu in veram pietatem patere.*



### SECTIO III. POLEMICA.

IN QVA DEMONSTRATVR  
PONTIFICIORVM DOCTRINAM NON  
ITA COMPARATAM ESSE, VT AB EA  
VERA PIETAS DEPENDERE  
POSSIT.

#### §. XXXVI.

Connexio. Demonstrata iam doctrinae protestantium veritate ex hoc principio: *Quaecunque doctrina nos regenerare & spiritualiter creare potest, illa est fundamentum verae pietatis;* §. 18. ad probationem falsitatis doctrinae pontificiorum nunc progrediamur. Eadem via hic rursus incedemus, quam secuti sumus in sectione secunda. Et sic cuncta ad hoc argumentum redibunt: *Quacunque doctrina nec regenerari, nec spiritualiter creari possumus, illa non est fundamentum verae pietatis.* Atqui de pontificiorum doctrina id valere putamus. Ergo illa non est fundamentum verae pietatis.

#### §. XXXVII.

Minoris propositionis probationis. Maior huius syllogismi iam ex antecedentibus satis superque apparebit. Igitur iam nos ad probationem minoris propositionis, quod nempe pontificiorum doctrina nos nec regenerare, nec spiritualiter creare possit, conuertimus. Cuius propositionis veritas ex sequenti ratiocinio constabit: *Quacunque doctrina fides non accenditur, illa nos non potest regenerare.* Atqui pontificiorum doctrina cet. Ergo cet.

#### §. XXXVIII.



### §. XXXVIII.

Maior huius syllogismi manifesta est, quia supra iam docuimus, & probauimus, regenerationem esse fidei accensionem §. 26. Cum igitur, posita fidei accensione, quoque ponatur regeneratio, etiam recte concludimus, deficiente illa, deficere quoque regenerationem, siue spiritualem creationem. Minoris igitur probatio adhuc restat: *Pontificiorum doctrinam fidem accendere non posse.* Quod ex variis argumentis probare possumus.

I. Enim Pontificii prorsus negant fidem iustificantem.

II. Existentiam, necessitatem, utilitatem meriti Christi, certitudinem & possibilitem illud participandi negant.

Cum ergo fidei existentiam negent, ac principia illa, quibus fides nititur §. 28. inficias eant, *illorum doctrina fidem accendere neutquam potest.*

### §. XXXIX.

Probabimus igitur

I. *Pontificios negare fidem iustificantem.* Statuunt quidem fidem, & docent, illam esse humanae salutis initium atque fundamentum, siue radicem omnis iustificationis. Vid. CONC. TRID. *Sess. VI. Cap. VIII.* Sed negant, hanc fidem esse apprehensionem meriti Christi, & acquiescentiam in illo, docent tantum esse assensum generalem, quo credimus, vera esse omnia, quae a Deo reuelata, & promissa sunt. Vid. IBID. Cap. VI. Negant porro hanc fidem, qua iustificamur, esse fiduciam diuinae misericordiae, peccata remitten-

D 3

tis

tis propter Christum. Vid. **Ibid.** Cap. XII. At vero haec omnia, quae ab illis negantur, fides illa inuoluit, cuius productione regeneramur, sicuti **Se<sup>c</sup>t. II.** demonstratum est. Licit itaque fidem aliquam ad iustificationem requirant, eam tamen reiiciunt, quae vere est iustificans.

### § XL.

**Specialius determinatur.** Sunt & aliae illorum opinione, quae aperte ostendunt, hanc fidem ab illis negari. Sic e. g.

I. Docent, hanc fidem esse actum intellectus & non voluntatis. Cum enim assensum generalem esse fidem tradant, illam intellectui tantum attribuere debent. Sed fiducialis apprehensio meriti Christi est aetus voluntatis. Quare & fides in voluntate sedem suam habere debet.

II. Docent, obiectum eius non esse meritum Christi, sed cuncta, quae in sacris litteris extant, siue sint historica, siue dogmatica, siue vaticinia.

III. Tradunt, posse obtineri sine notitia explicita; siue, hominem fidem iam habere, si tantum credit, vera esse omnia, quae in sacro codice sint reuelata, licet ea non specifice sciat. Haec sunt, quae de fide docent, & quae variis argumentis probant. Vid. **BELLARMINVS Lib. I. de Iustif. Cap. VI. § VIII.** (i) Nos quidem non negamus hanc fidem, sed utique

(i) Distinguendum esse inter *credere Christo*, & *credere in Christum*, quam luculentissime probauit **S. V. PRAESES in Inst. Theol. Dogm. P. IV. Cap. I. §. 293. Schol.** Est autem credere Christo nihil aliud, quam assertis Christi affectu, credere vero in Christum significat fiduciam in merito eius.

que docemus, hominem Christianum debere veritatibus in Sacra Scriptura propositis, siue sint historicae, siue dogmaticae, assentiri. Sed id tantum negamus, quod tali fide iustificari homo possit. Haec enim fides fiducialis meriti Christi apprehensio esse debet. Vid. S. V. PRAESIDIS Tract. de Iustif. Cap. IV. toto.

### §. XLI.

Cum tamen fieri possit, ut homo aliquis fidem ex veritatibus agnitis & creditis concipiatur, licet ipse ignoret, quid sit fides, & num detur illa, ex negata existentia fidei iustificantis non satis demonstrari potest, illorum doctrinam non posse excitare fidem. Attendum igitur nobis erit ad reliqua dogmata, quae tradunt. Et quia diximus Secundo §. 38. pontificios negare & existentiam, & necessitatem, & utilitatem meriti Christi, nec minus de certitudine & possibilitate illud participandi dubitare, videndum est, num pontificii hanc habeant doctrinam, nec ne.

### §. LXII.

Itaque I. asserimus, pontificios existentiam meriti Christi negare. Meritum Christi omne id significat, quod Negant existentiam meriti Christi.

merito Christi collocare. Cum igitur BELLARMINVS I. c. tantum doceat, fidem esse assensum, ex eo appareat, pontificios tantum  $\tau\delta$  credere Christo affirmare, sed non  $\tau\delta$  credere in Christum. Haec fides vero est diuersa. Potest enim quis credere Christo, siue veritates a Christo traditas assumere, cui tamen deficit fiducia. Quia vero fides, quam iustificantem appellamus, fiducia vera esse debet, pontificios existentiam illius vere negare exinde patet.



quod in salutem nostram praestitit. Vid. S. V. PRAE-SIDIS Instit. Theol. Dogm. §. 227. Est igitur vel *actuum*, vel *passuum*. Per illud intelligimus adim-pletionem legis pro nobis praestitam, per hanc vero satisfa-tionem, sive passionem Christi. Pontificii au-tem tantum passuum meritum Christi affi-stant, & *actuum* negant. Statuunt enim iustitiam, qua iusti-ficamur, esse inhaerentem & propriam, h. e. cordis sanctificationem, quam ut deus nobis largi-tatur, pro-meritum esse per Christi satisfa-tionem. Ergo iu-stitiam, h. e. vicariam eius adim-pletionem legis nobis comparata-ram plane excludunt. Multa quidem de iu-stitia Christi differunt, Vid. CONCIL. TRID. Seff. VI. Can. X. & XI. GEORGE CASSANDER in *Con-sul-tatione de Art. Controv. Art. IV.* Opp. p. 917. (k) sed tamen

(k) Quia multa proferunt pontificii de iustitia Christi, & CON-CIL. TRID. Seff. VI. can. X. aperte dicit: *Si quis dixe-rit, homines sine Christi iustitia, per quam nobis meruit iustificari, aut per eam ipsum formaliter iustos esse, ana-thema sit.* Multi nostrati adsumt, qui putant pontifi-cios iustitiam Christi nobiscum affirmare, & vt meritum eius *actuum* considerare. Nam B. IO. GERHARDVS in *Loci Theolog. de iustificatione* §. 57. p. 308. cum de er-rore PISCATORIS agit, Eft, inquit, *qui in societa-tem huius opinionis etiam pontificios perirabere conatur cum Concil. Trid. Seff. VI. cap. 7. & Bellarminus eiusdem hyperaspites Lib. I. de iustificatione cap. 2. solius passionis Christi in assignanda meritoria iustificationis causa mentio-nem faciant, sed cuiuscum concil. Trid. diserte addat iu-stificationem, cumque Bellarminus Lib. V. de Christo Cap. 9. scribat: Christum suis operibus ac laboribus nobis omni-bus gratiam & gloriam acquisiuisse, denique cum Coferus in Enchirid. p. 296. disertam faciat mentionem operum Christi, siveque *actuum* obedientiam cum *passua* coniungat, ideo nolumus sinistri quippiam de illis hac in parte suspicari.*

tamen longe aliter iustitiam illam Christi definit. Intelligunt enim per illam nihil aliud, quam ipsam satisfactionem Christi. Et quando distinguunt inter satisfactionem & iustitiam, per hanc vitam sanctissimam, quam, ut homo sanctissimus, habere debuit, & quam nos eius discipuli ut exemplar imitari debemus, intelligunt. Sic docuit sententiam pontificorum THOMAS STAPLETONVS Lib. IV. de Iustif. Cap. III. §. 223. Haec definitio satis superque docet, pontificios negare eam iustitiam Christi, quae nobis imputari debet, ut pro iustis declarari possimus. Deficiente vero iustitia Christi redemptor noster non omnia, quae ad salutem hominum pertinent, praestitit. Vid. S. V. PRAESIDIS Inst. Theol. Dogm. §. 219. 220. 221. & Tract. Germ. de Christo Iesu nostro redemptore P. III. Cap. III. Cum igitur sine merito illo actiuo meriti Christi existere nequeat, sequitur, Pontificios negare existentiam meriti Christi §. 38.

### §. XLIII.

II. Negant necessitatem iustitiae Christi. Cum enim doceant, iustitiam Christi non existere §. 42. credere eos oportet, aut Christum non esse verum Redemptorem nostrum, aut iustitiam ipsius ad salutem non esse necessariam. Atqui non negant, Christum ea praestitisse, quae ad comparandam salutem necessaria sunt. Ergo necessitatem meriti Christi actiuo negare debent. Porro docent pontificii, hominem operibus suis iustificari posse, hominem pro iusto declarari propter internam suam qualitatem & sanctitatem. Probant hoc dogma multis argumentis, quae enuntiatur

E

merare

Eiusque  
necessita-  
tem.

merare locus prohibet, videantur tamen apud BEL-LARMINVM de Iustificatione Lib. II. Cap. III. seqq.  
 & STAPLETONVM de Iustific. Lib. V. Cap. III. seqq.  
 Si vero iustitia propria & inherente iustificamur,  
 quorsum opus est aliena iustitia? Vna enim si offre-ratur Deo, illa iam sufficiens erit ad iustificationem.

### §. XLIVI.

*Vtilitatem illius.* III. Negant vtilitatem meriti Christi. De actiuo quidem res est in confessio. Quid enim illud haberet vtilitatis, si plane non influit in negotium iustificatio-nis & salutis. Sed de passiuo subtilior est controver-sia. Fatentur, meritum hoc esse causam meritoriam iustificationis. Vid. CONCIL. TRID. Sess. VI. Cap. VII. At vero 1. talem iustificationis modum fingunt, qui existere posset, etiam si Christus pro nobis mor-tuus non esset. Dicunt enim, ideo Christum mor-tuum esse, vt Deus se moueri pateretur ad infun-dendam iustitiam praeuiis hominum dispositionibus. Nonne vero & iustitiam istam post praeuias disposi-tiones infunderet, etiam si Christus mortem non subiis-set? Id Deum omnino facturum fuisse, pontificios re-spondere oportet, quia dispositiones istae merita de congruo esse ab illis statuuntur, & haec merita inter-na operis dignitate Deum mouere debent ad confe-rendum id, quod per ea promeretur. Ergo homo iustificandus carere potest merito Christi passiuo. 2. Haec iustificatio, cuius causa meritoria mors Christi esse statuitur, est eorum, qui haec tenus nondum fu-ere baptizati. Si vero lapsus poenitentia iustificatio-nem rursus quaerit, plane exulat Christi satisfactio. Haec

Haec enim poenitentia contritionem, confessionem, & satisfactionem inuoluere creditur. Facta contritione & confessione, quae absque merito Christi passione sine dubio possibilis est, aeternitas poenarum infernaliuum tollitur. Ad remouendas autem temporales poenas purgatorii requirunt satisfactiones proprias, & si quis illas ipse praestare nolit, sanctorum merita per indulgentias illi applicari possunt. Quare in systemate pontificiorum totum Christi meritum, etiam quoad illam partem, cuius existentia conceditur, res est superuacanea, omni vtilitate destituta.

### §. XLV.

*IV. Certitudinem imo & possibilitatem meritum Christi per imputationem participandi negant.* Ratione meriti actiui non est, quod hanc inculpationem probemus. Negata enim illius existentia, simul cadit & possibilitas & certitudo imputationis. Solent tamen & directe illam impugnare, vt videre licet apud BELARMINVM Lib. II. de Iustif. Cap. VII. & STAPLETONVM Lib. VII. de Iustif. Cap. VIII. Passuum, quod attinet meritum, nos quidem docemus, illud nobis imputandum esse, vt, interueniente hac satisfactione per imputationem in nostram conuersa, peccata nobis condonari possint. Sed huius generis peccatorum remissionem, quae fundata sit in vicariae satisfactionis imputatione, pontificii non statuunt. Nam I. peccatorum remissionem ut actum physicum considerant, quo habitus vitiosus expellatur, idque mediante infusione iustitiae habitualis. Ut enim sol oriens non tantum illustrat tellurem, sed simul disspellit tenebras, ita & communi-

E 2

nica-



nicatione habitus iustitiae simul remoueri habitum peccandi dicunt. Et hoc posterius vocant peccatorum remissionem. Vid. BELLARMINVS de *Iustif.* Lib. II. Cap. II. Dispp. Tom. IV. p. 803. seq. Quemadmodum autem habitualis illa iustitia non infunditur intuitu satisfactiōis Christi nobis imputatae, ita nec eam nobis imputari credunt ad peccatorum remissionem. 2. In poenitentia distinguunt remissionem *culpae & poenae*. Ad priorem requirunt contritionem & confessionem, non, ut hac mediante satisfactio Christi nobis imputetur, sed, quia absolutio sacerdotis sententia iudicalis esse creditur, quae ferri nequeat, sine praevia sua ipsius accusatione. Hoc enim est fundamentum confessionis auricularis. CONC. TRID. *Sejj.* XIV. Cap. V. Et, quamquam cum remissione culpae simul remittatur aeternitas poenarum, temporales tamen purgatoriū cruciatus retinentur, donec accedat satisfactio. Haec si praestetur, peccator omni carere potest merito Christi. Sin vero satisfacere nolens quaerat indulgentiam, tunc cum illo communicatur aliqua pars meritorum Christi, & sanctorum superabundantium. Et haec communicatio aliquo modo dici posset imputatio. At enim vero haec imputatio, cuius possibiliterat eatenus concedunt ad stabilienda sua figmenta de indulgentiis, ita comparata est, ut eius certitudo numquam haberri possit. Ad validas namque indulgentias eiusmodi conditions requirunt, quae num adfint, homo numquam satis certo scire potest. Quare etiam B. noster LUTHERVS pontificios recte increpat, quod homines ad fiduciam indulgentiarum adducant, & inde rursus abducant, remittentes eos ad incerta opera

opera & merita. (1) Ceterum ex his satis appetet participationem meriti Christi per imputationem partim ipsam a pontificis negari, partim illius certitudinem tolli.

### §. XLVI.

Negata vero existentia, necessitate, utilitate, & certitudine imputationis meriti Christi, negatur fundamentum & principium fidei. §. 28. Iam vero probatum est, pontificios negare existentiam §. 42. necessitatem §. 43. utilitatem §. 44. & certitudinem imputationis meriti Christi §. 45. Ergo *pontificiorum doctrina fides iustificans accendi nequit.* §. 38.

### §. XLVII.

Deficiente accensione fidei, deficit regeneratio, <sup>Pontificio-</sup> siue spiritualis creatio §. 26. & 37. Cum igitur pon-<sup>rum do-</sup>  
tificiorum doctrina fides in homine accendi nequeat, <sup>ctrina nos</sup> non re-  
§. 46. exinde patet, illorum doctrina *hominem non regenerare posse.*

### §. XLVIII.

Nunc ergo conclusionem inferre possumus: Quia-  
E 3      Ergo non  
cun-      est funda-

I) Vid. Artic. Smalc. P. III Art. III. p. 325. Neque tamen hoc quoque sufficiebat. Papa enim, et si rubebat homines indulgentiis iis tuto fidere ad salutem, tamen ipse rem universam denivo incertam, in dubium vocabat. Nam in bullis suis scribit, cum, qui indulgentiarum seu lubilaci amici particeps fieri velit, oportere contritum & confessum esse, ac pecuniaria numerare. Audiuiimus autem supra, contritionem & confessionem illorum esse incertam & hypocriticam. Nemo etiam sciebat, quae anima in purgatorio esset, ac se quae in eo esse dicebantur, nemo sciebat, quae recte & contritae & confessae fuissent. Sic Papa sanctum denarium corradebat, & interea ducebat homines ad fiduciam potestatis & indulgentiarum suarum, & rursum inde abducebat ac remittebat ad incerta ipsorum opera & merita.

mentum  
verae pie-  
tatis.

cunque doctrina regenerari non possumus, illa non est fundamentum verae pietatis §. 36. Atqui pontificiorum doctrina regenerari non possumus §. 47. Ergo *illorum doctrina non est fundamentum verae pietatis.*

§. XLIX.

*Illorum  
doctrina  
non est  
vera.*

Vbi non est fundamentum verae pietatis, ibi non est vera doctrina §. 16. n. 2. Cum igitur pontificiorum doctrina corda hominum ad veram pietatem disponere nequeat §. 48. *illorum doctrina vera esse non potest.*

§. L.

*Quod & a-  
lia illorum  
dogmata  
probant.*

Habent praeterea pontificii alia dogmata bene multa, quibus vera pietas direcete impeditur. Sic e. g. peccatum originale multaque peccata actualia nimium extenuant, ut pro peccatis non habeantur ab hominibus; a certis Dei legibus eos remittunt ad incertas hominum traditiones; praecipiunt continuam dubitacionem de gratia & peccatorum remissione; ad proprias satisfactiones reiiciunt, & persuadent hominibus, posse etiam ultra mensuram obligationis legem seruari; dicunt, sufficere, si quis implicite credat, quod ecclesia credit, licet ignoret, quid credat; & huius generis sexcenta alia. In primis autem hoc constanter contra illos virgendum est: 1. Quod multas leges Dei abrogent, & pro iis fictas hominum traditiones substituant; 2. quod motiva Dei voluntatem faciendi spuria suppedient; Non enim ideo Deum diligendum esse docent, quia ipse prius nos dilexit in Christo, sed ideo legem impleri volunt, quia hac obedientia promereatur vita aeterna: 3. quod abiecta ea doctrina, per quam solam regenerantur, cordis dispositionem reddant imposs-

possibilem, quae ad veram pietatem & sanctimoniam vitae necessaria est. Nos vero, Apostolum secuti ad postremum hoc argumentum vnicē attendere voluimus.

§. LI.

Quantum itaque hoc est beneficium, vt nobis se-  
cure liceat doctrinam istam reiicere, & veriorem pu-  
rioremque imo vnicē salutificam profiteri. Exhibeba-  
tur id nobis ante ducentos annos PACE RELIGIOSA,  
qua in primis cautum est, ne liberum religionis exer-  
citium, quo vtebantur protestantes, ab aduersariis tur-  
baretur, & ne quis propter dissensum a romana ecclē-  
sia in ius vocaretur, aut quicquam incommodi ideo  
pateretur. (m) In hodiernum itaque diem cum altera  
vice incidat Secularis Memoria celebratissimae istius  
pacis, nos quoque hac qualicunque scriptione & pu-  
blica de ista disceptatione eam quodammodo celebrare  
voluimus. Faxit Supremum Numen, vt nos, qui-  
bus vera doctrina, vnicā verae pietatis genetrix, re-  
stituta est, sanctissimam illam doctrinam non tan-  
tum ore profiteamur, sed & pio corde retineamus,  
atque sic religionis nostrae veritas non tantum argu-  
mentis, sed etiam virtutibus a nobis  
demonstretur.

NOBI-

- (m) Formula huius pacis legitur ap. IO. SLEIDANVM in  
Comment. Lib. XXVI. p. 290. seq. LVC. OSIANDRVM  
in Epit. Hist. Eccl. Cent. XVI. Lib. III. Cap. 18. p. 620. seq.  
et plures alios Scriptores. Anno proxime elapso Celer.  
IOANNES ERHARDVS KAPPIVS eam ex recepsibus  
Imperii recudi curauit *in dem freudigen Andenken des er-  
sten Religionsfriedens Jubelfestes* p. 212. seqq.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS HVIVS AVCTORI  
GEORGIO LUDOVICO GRVENER  
SANCTAE THEOLOGIAE CANDIDATO DIGNISSIMO,  
SEMINARII THEOLOGICI SVBSENIORI

S. P. D.

PRAESES.

Singulare Divinitatis Scripturæ argumentum esse solet illius efficacia — qua voce tunc præcipue intelligitur virtus, hominum corda ad pietatis & sanctitatis studium disponendi. Quacunque enim doctrina naturalis illa impotentia, Deum pio mentis affectu colendi, tollitur, & e contra dispositio Deum diligendi & timendi confertur, illam sine dubio oportet esse divinam. Sed ex eodem medio termino simul de doctrinarum qualitate judicari potest, quas ex sacro codice haustras esse, earum Confessores contendunt. Nimirum licet conformitas doctrinæ cum Scriptura certissimum sit veritatis criterium, illa tamen non minus ex effectu, quam ex principio intelligi poterit. Una tantum superesse videtur difficultas, scilicet, hanc doctrinæ efficaciam & vim, hominum corda sanctificandi, non demonstrari, sed tantum sentiri posse, ideoque, qui eam urgent, nihil efficere contra dissentientes. Verum enim vero hanc difficultatem a TE feliciter superata esse, CLARISSIME GRVENERE, non absque singulari animi voluptate intellexi. Non equidem mirabar, ingenii ac scientiae specimen, quod ante aliquod dies mihi exhibebas, solide & ornate elaboratum fuisse. Novi enim diligentiam laudabilem, qua mox ab ingressu two in Academiam nostram Praelectionibus meis interfuiisti; Novi privatum studium,

dium, quo ea, quæ audiveras, scrutari & meditari, imo  
etiam Theologorum volumina evolvere soles; Novi cordis  
TVI candorem & probitatem, quæ, postquam liberorum  
meorum curam & institutionem Tibi imponi passus es, in  
méo semper fuit conspectu; Novi etiam, quanta in TE sit  
rerum sacrarum notitia, soliditas, & facundia; Et norunt  
id omnes, postquam in Seminárium Theologicum, quod  
SERENISSIMI NOSTRI PRINCIPIS munific-  
centia alitur, receptus, toties cum plausu & fructu decla-  
masti ad populum. Hæc itaque cum scirem, non mirabar  
eruditum & aptum scribendi genus; maximopere tamen pla-  
cebat ipsa argumenti electio. Illuc enim cogitationes TVAS  
directas fuisse videbam, ut ostenderes, quomodo doctrinam  
comparatam esse oporteret, quæ hominem spiritualiter cre-  
are, & ad bona opera preparare possit. Quod si satis evi-  
denter ostensum fuerit, adeſt norma, ad quam & nostra & ad-  
versariorum nostrorum doctrina examinari potest. Adeſt  
etiam principium, ex quo fidei nostræ non tantum veritas,  
sed etiam præstantia & sanctitas demonstrari potest. Et  
quid magis conveniebat tempori, quod bodie nobis sacrum  
est, & cuius memoriam aliqua solemnitate commendare vo-  
lebas? Ea enim ipsa die, qua ante hos ducentos annos pax  
religiosa confirmata, illiusque formula composita est, in  
publicum prodire, & ingens hoc Dei beneficium ipso facto  
celebrare decreveras. Et, me quidem judge, hoc luculen-  
tius exponi, & magis praedicari baud potuit, quam demon-  
stratione, præfitem tunc esse securitatem illi doctrinæ, qua  
sola hominum corda ad verum Dei cultum disponi, veraque  
pietas restitui ac conservari potest. Gratulor ergo TIBI  
novoꝝ hoc opus, & quemadmodum nosti, me TIBI re-  
busque TVIS bene cupere, ita & iam publicas ad Deum  
preces mitto, ut TE divino suo spiritu semper magis magis  
que sanctificare, TVAQUE studia & omnes conatus dirigere  
perget in Nominis sui gloriam, & Ecclesiæ utilitatem. Dab.  
in Academia Iulia Carolina, D. XIX. Sept. 1755.

F

Nobi-

Nobilissimo atque Doctissimo Theologiae Candidato  
**GEORGIO LVDOVICO GRVENERO**

S. P. D.

**JOANNES ALBERTVS STOLLBERG**

Ducalis Seminarii Theologici Senior.

A me ipso impetrare non potui, AMICE SVAVISSIME, ut eruditionis TVAE publicum ederes specimen, cui qualiscunque mea gratulatio & amoris erga TE mei testificatio deesset. Opponentis spartam benevole mihi demandassis. Quapropter ex more id, quod TIBI præsto, fluere videri posset. Ait periusum TIBI habeas, velim, sola amicitia duce me hasce meas ad TE litteras dedisse. Nonne enim, si consuetudo lex mihi fuisset, in laudes TVAS excurrere, ingenique, quibus prædictus es, virtutes exquisitis verbis extollere debuissis? Quod quidem superfluum fore arbitratus, cum id, quod solide elaborasti, scriptum doctrinæ TVAE copiam quam optime celebret, nec me aliud quoddam tenet desiderium, quam ut mentem meam publice TIBI significem. Gratalor ergo TIBI hoc & industriae & dexteritatis TVAE documentum, animique mei vota sincerima cum iis coniungo, qui bene TIBI cupiunt. Sumimus ille omnium rerum moderator, qui coepitis TVIS benedixit, omnibus conatibus TVIS & in posterum quam gratiissime annuat, TEQUE virum evadere jubeat, non quem spero, sed plane confido ecclesie Christi utilissimum orbique eruditio proficuum. Vale mihiique, quem amicitia TVA ornare non dubitasti, fave. Dedi in Academia Iulia Carolina d. XXI. Sept. A. R. S. MDCCCLV.

---

Viro Praenobilissimo atque Doctissimo  
**GEORGIO LVDOVICO GRVENERO**  
Amico Suo Suauiissimo

S. P. D.

**JOANNES HENRICVS MVTZENBECHER**  
Sem. Theol. Membrum. Opp.

Eruditionis, & ingenii, quod hodie publice edis, specimen, AMICE OPTIME! non potest non magnum mihi creare gaudium. Ascendis cathedram, applaudunt omnes, quibus de solida doctrina iudicandi & facultas & voluntas est. Gratulanter TIBI de libello eleganti calamo conscripto, augurantur Patriae TVAE quaevis de TE bona, crescat spes de TE iam longo abhinc tempore concepta, & ut paucis omnia complectar, maximam ex laboribus TVIS capiant voluptatem. Haec curatius considerans, felicitatis TVAE, quae certissime TIBI eueniet, pars, ad me quoque redundat, cum amicorum omnia sint communia. Laetum animum subit tempus, quo

quo in amplexus **T V O S** veni & non sine voluptate recordor amicitiae, quam quotidiana coniunctio firmorem semper & arctiorem reddit. Noui te amicum certum, probum, eleganteim, doctum, sincerum. Felicem igitur me praedicare possum, hac luce occasione nactus, meum animum, amorem & voluntatem **T I B I** declarandi. Gratulor **T I B I** quam amicissime nouum & loculentum doctrinae monumentum, quod praeclaram scientiae **T V A E** in rebus ad praecipuas Theologie partes pertinentibus rationem exhibet, viamque **T I B I** ad maiora queaub virtutis **T V A E** praemia pandit. I pede fausto ad fastigium illud, quo bonarum artium statores & compensatores **T V A M** diligentiam ornabunt & felix recordare temporis, quo nos in florentissima hac Iulia Carolina & doctrinae & amicitiae fundamenta iecimus. Vale. Dabam Helmst. MDCCCLV. d. XXI. Septembris.

---

Viro Praenobilissimo atque Praestantissimo  
**HIVIS DISSERTATIONIS AVCTORI DOCTISSIMO**  
Amico suo suavissimo

S. P. D.

C. D. F. L. E H M A N N. Wolfenb.  
Sem. Th. Meimb. Oppon.

Quam faustum & felicem semper praedicavi diem, quo **TV** me in amicorum **TVORVM** numerum receipi, & quam grata mihi & iucunda illius est memoria & recordatio! Tunc iam cum celeberrimi Wolfenbutt. Scholae doctores artium liberalium flamina prima utriusque nostrum instillarent, primordium suum amicitia nostra sumis. Quantopere autem illa aucta & confirmata est per quotidiam vnum vsum, qui inter nos per triennium fere in hac academia fuit! Laetus igitur, **A M I C E O P T I M E**, arripi hanc occasionem exoptatissimam, qua & meum in **T E** animum, & delectationem, quam ex **T V A** amicitia, de qua insigniter mihi gratulor, lucusque coepi, maximam, publice declarare possum. Quis autem dies ad hoc felicior fortunatiorque, quam hodiernus, quo hanc dissertationem eruditissimam, proprio studio inventam & elaboratam, publice defendis. Gratulor itaque **T I B I** ex animo de his laborum **TVORVM** academicorum primitiis bene perfectis. Gratulor insignes in scientiis progressus. Granulor denique & mihi de tali amico litteris non minus quam egregiis animi dotibus virtutibusque praedito. Quod reliquum est, nihil magis opto, quam vt omni felicitatis genere cumeris, simulque autem, vt & semper amore **T V O** me dignum habeas, rogo atque rogo. Vale. Dab. Helmstad. d. XXIII. Septembr. MDCCCLV.

F 2

Viro



Viro Praenobilissimo, Doctissimo, ac Dignissimo Theologie  
Candidato  
**G E O R G I O L V D O V I C O G R V E N E R O**  
Seminarii Theol. Helmstad. membro ordinario  
Amico & Concivio suo suavissimo

S. P. D.  
**L V D O V I C U S A V G V S T V S I O R D E N S**  
Sem. Theol. M. O. Opp.

En! AMICVS amicorum OPTIMVS cathedram ascendit,  
dissertatione sua eruditissima & de adhibita diligentia, ingenique val-  
de singularis dotibus, linguarumque peritia publice testatur. En!  
adest dies valde exoptatus, adest occasio fortunatissima, meam er-  
ga TE, AMICE AESTVMATISSIME! laetitiam ac amorem  
haud fucatum quin imo animi mei affectum publice declarandi.  
Nil sane praeflantius, nil incomparabilius generique humano uti-  
lius est, arctissimo amicitiae, cuius alter alterum amore semper  
superare studet, vinculo. Quin & experientia & natura hominis  
ipsa testante, amicum donum esse dei affirmare semper audebo.  
Quod & in TE, AMICE DVLCISSIME, virtutis studiofissime, a  
summa DEI providentia mihi collatum est. Communis enim nos  
genuit patria, praeceptoribus, quos TV a pueritia habuisti, & ego  
usus sum, nec illus fere dies praeceptorib, quo unus alteri amicitiae  
officia maxima non praeflatisset, nec alter alteri quotidie quam fa-  
miliarissime usus esset. Academiam hancce ingressus, amicitiae nostrae  
vinculum adhuc arctius conjunctum est, ita, ut id usque dum nunquam  
interruptum sit, sed potius amoris studio, quo TIBI palnami praeri-  
pere quotidie allaboro, in dies continuatur & confirmatur. In TE enim  
AMICE SINCERRIME, quandiu vitam egi academicam & industrias  
& pietatis semper mihi fuit exemplum valde singulare. Hoc enim  
ipsum TVA Dissertatione egregia satis sufficienter declarasti, TE non  
in limitibus rerum sacrarum notitia perstitisse, sed ad eorum inte-  
riora penetrasse. Sed quare hisce multis commoror? an forte neces-  
sum habes, ut laudibus TVIS ego aliquid addam, quod TIBI non  
jam omnes facile concedant? Verum enim vero ut & amicitiae &  
amoris in TE haud simulati publicum extare monumentem, TIBI,  
FAMILIAE TVAE & PATRIAE hocce eruditonis TVAE spe-  
cimen ex animo gratulari, meum esse, censui. Adsit TIBI itaque  
DEVS etiam in posterum gratia & providentia sua singulari, TE con-  
seruet fortunetque omnes conatus TVOS, ac largiter TIBI imper-  
tatur gratiam ac benedictionem. Vale & me, ut semper fecisti, a-  
mare perge. Dabam in Academia Iulia Carolina d. XXIV. Septb.  
MDCCLV.







AB: 153990



5b.

VDA 8

R



B.I.G.

Black

Farbkarte #13

Yellow

Green

Cyan

Blue

White

3/Color

Magenta

Red

Inches

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19



DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

# NEXV VERAE PIETATIS

CVM

## PVRITATE DOCTRINAE

AD ILLVSTRANDVM LOCVM EPH. II. 10.

ET AD

RENOVANDAM

PACIS RELIGIOSAE

MEMORIAM SECVLAREM

QVAM

PRAESIDE

VIRO SVMME VENERABILI

IO. ERNESTO SCHVBERTO

SANCTAE THEOLOGIAE DOCTORE

ABBATE CONVENTVS AD LAPIDEM ST. MICHAELIS  
THEOLOGIAE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO ET  
SEMINARII THEOLOGICI DIRECTORE IN ACADEMIA  
IVLIA CAROLINA

IN IVLEO MAIORI

D. XXV. SEPTEMBRIS A. R. S. cibis CCLV.

PVPlice TVEBITVR

AVCTOR RESPONSVRVS

GEORGIVS LVDOVICVS GRVENER

WOLFENBVEETTELENSIS

S. TH. C. ET SEMINARII THEOLOGICI MEMBRVM.

HELMSTADII

TYPIS IOANNIS DRIMBORNIL